

PROPOSITIO PRIMA:

*Adversus Lucam Osiandrum & ceteros Novatores dicimus ;
N. L. Sacramenta nec plura , nec pauciora esse
quam septem .*

§ II. Nolumus ad hanc Catholicam veritatem demonstrandam Scripturæ testimonia congerere , quæ de septem Ecclesiæ Sacramentis disertissime loquuntur : suum illa locum ubi de quolibet Sacramento in specie dicturi sumus , sibi vindicabunt , præterquam quod hæretici , ubi de Sacramentorum numero lis est , cum ex Scripturis arguuntur , in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum , & ad Traditiones non scriptas provocare solent . Principio igitur *Origenis* (a) innixi , hoc proponimus , haud profecto solubile argumentum . Illa sola credenda est veritas , quæ in nullo ad Ecclesiastica distat Traditione : atqui septem Ecclesiæ Sacramenta Traditio Catholice Ecclesiæ expresse ac distincte docet ; hæc igitur sola credenda est veritas ; & quælibet hæresis , quæ septem non profitetur Ecclesiæ Sacramenta , quoniam ab Ecclesiastica distat Traditione , merito rejicienda . Hæc sunt Sacramenta , quæ agnoscit Ecclesia . I. Baptismus , de quo loquitur *S. Ignatius Martyr* , Joannis Evangelistæ auditor , in epistola ad *Philadelphenses* num. 111. *S. Ignatius Martyr* in prima sua *Apologia* . *S. Irenæus* lib. IV. contra her. c. 34. *S. Clemens Alexandrinus* *Pæd. l. 1. c. VI.* *Tertullianus* de corona militis c. 3. *Origenes* *Hom. 4. in Josue* . *S. Cyprianus* ep. 73. p. 318. Secundum Ecclesiæ Sacramentum est Confirmatio , cujus meminit *Tertullianus* de anima cap. 40. *S. Clemens Alex. Strom. lib. 2.* *S. Cyprianus* in epist. ad *Subjanum* , *S. Hilarius* in *Math. C. IV.* Confirmationis Sacramentum munus & donum Spiritus Sancti , imo Spiritus Sacramentum appellat .

Tertium Sacramentum est Eucharistia , cujus Sacramenti augustissimi , quod vere & realiter sub pane & vini specie-

(a) *Petianchon* lib. I. pag. 404. *Ed. Genev.*